

... rector Laurentius Tammelin
... Officium, ex constitutione
... Gabrielis...

Tammelin, Laurentius Gabrielis,

17 Taad Fo1.



National Library
of Sweden

REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS
RECTOR,
LAURENTIUS TAMMELIN,
MATH: PROFESSOR ORDINARIUS,
LECTORI BENEVOLO
SALUTEM & INCOLUMITATEM!



Officium, ex constitutione Regia, ambulatorium, Academiae Rectoris, quod superiori anno pridie Calendarum Quintilis, consensu eorum, quorum interest, vice altera, passus sum in humeros meos derivari, hucusque qua potui in rebus Academicis fide & diligentia, sed ob perturbatum Patriae statum, dirum pariter funestumque Martis imperium, plenus mærore, anxietate & solitudine sustinui; Et quidni hoc facerem? illo enim tempore & fere ipsis diebus (quamvis serius nobis innotuit) cum Sceptra Academica mihi traderentur, accidit in Volinia minori, prope Pultavam, tristis, acerbus & nunquam satis deplorandus, fatalis ille casus, qui Regnum nostrum Sveo-gothicum antiqua virtute & fortitudine inclytum, singulosque ejus subditos attonitos, consternatos & exanimis reddidit, omnemque liberioris spiritus anhelitum ita interclusit, ut Ispirare amplius longoque tempore colligere nos iterum vix potuerimus. Ingruentibus deinde nimborum Autumni tempestatibus, inopinatò, efferæ minacesque Muschovitarum copiae Livoniam, sanguinolenta atrocitate invadabant, civitatemque Rigam circumcirca obsidebant, illamque adhuc vallis, fossis, aggeribus & propugnaculis inclusam, miseris modis, oppugnationibus, Ignibus missilibus, ardentibus glandibus tormentisque bellicis infestant defatigantque. Sole proporro ad signum Capricorni deproperante, cumque glacialis & cana hyems inducias deposcere videbatur, ecce Danus ab altera parte e sinu Codano per fretum Danicum in Scaniam, provinciam sibi vicinam, clandestino irrepsit modo, illamque cæde, exactioibus, imo nunc minis nunc pollicitationibus adortus est, Musasque Lundinenses suis turbavit sedibus, donec nempe divina castigatus, & fortitudine nostrorum militum ac belli ducum, e limitibus Regni, universus illius exercitus valide profligaretur. Adpropinquante iterum renascentis anni nova ætate, quæ animos mortalium floriferi veris dulcedine ac jucunditate mulcere solet, insperatus terror & horror Charissimam nostram Finlandiam occupavit, propter hostiles irruptiones inquietorum crudeliumque Muschovitarum, qui adhuc urbem Wiburgum obsessam tenent, & ad deditioem flamma, ferro variisque machinationibus bellicis cogere nituntur. Tam miserabilis & calamitosa fuerat rerum nostrarum, imo totius Regni facies mei Rectoratus quadrifidis periodis, præterquam quod nullus amplius sermo apud nos magis audiatur, quam de conscribendis militibus, de educendis cohortibus, de instruenda acie, de propulsando hoste, de ingerendis telis, de vibrandis lanceis, de stringendis gladiis, imo de Studiosæ Juventutis ad arma capienda instigatione, adhortatione & persuasione, adeo ut nihil mirum, si Musæ nostræ Auricæ, alioquin vividæ & florentissimæ inter concrepantium armorum strepitus, funestosque & execrandos belli apparatus, hoc anno nonnihil fuerint turbatæ, & inter spem metumque hærentes consternatæ. DEUS in secula benedictus, *cujus stant numine bella*, afflictæ & contritæ, diuturnisque cladibus exhaustæ misereatur Patriæ nostræ dulcissimæ! & dejectam fere jam ac conculcatam erigat, adspiciat, soletur, commotus suorum tandem devotis precibus ac suspiriis! terrisque nostris, tot ancipitibus bellorum malis, longo annorum decursu quassatis, gloriosam ac diu desideratam pacem clementissime concedat, quæ sola sauciatis regionibus Borealibus mederi, Regnumque nostrum, hætenus velut navem in alto maris ventorum turbine agitatam, in tranquillum placidumque reducere possit portum; audiat & exaudiat nos immortalis & vivens ille DEUS nullo non tempore summus!! Cumque jam adsit gratissimum illud tempus, quo liceat mihi collecta subducere, oneroso & hac tempestate propter Bellonæ Furias, periculoso Magistratus Academici gerendi jugo, illudque in humeros validiores ut spero & opto, transferre, ex toto animo lætor, voveoque successori & Collegæ meo honoratissimo quævis felicia & prospera fata; optatam pariter & a gravioribus motibus alienam administrationem, præcipue ut illius Rectoratus anno, nobis ab omni hostili invasione liberatis aurea & alma diuque desiderata adferatur pax, quo liceat iterum studiis solitis in quiete otio & pace feliciter ac pro virili, operam dare, & universa patria, de fortunato bellorum exitu, pacifico regimine & pacata ac tranquilla vita in sinum sibi gratulari possit. Is vero, qui post me Sceptra Academica moderabitur, est ex voluntate Illustrissimi & Excellentissimi Comitum ac Domini, **DN. GABRIELIS FALCKENBERGII**, SAC. REG. MAJ. Consilarii, Supremi Judicii Holmensis Præsidis & Academiae hujus Cancellarii celsissimi, gratiosissimi, nec non suffragio Reverendissimi Dn. Episcopi, Pro-Cancellarii eminentissimi, ut & consensu totius Senatus Academici, VIR de Ecclesia DEI & Republica literaria optime meritis, Admodum Reverendus & Præclarissimus, Dn. Mag: **GABRIEL JUSLENIUS**, Log: & Metaph: Professor Celeberrimus, nec non Pastor in Pemar vigilantissimus. & cum solenni ejus ad munus Rectoris inaugurationi destinata sit crastina lux, quæ est dies quintus supra vicesimum hujus mensis; Ideoque suspiciendos quosvis literarum Patronos, spectatissimos hospites, & Ordinem cumprimis Professorium, una cum studiosa juventute Academica, perquam officiosè & amice rogo & obtestor, velint dicto die hora nona, signo campanæ maximâ dato, in Auditorium Academiae majus convenire, & inde in templum Cathedrale novum Rectorem deducere, pro REGIS nostri Augustissimi incolumitate & optato felicique, sine mora in Patriam reditu, Regiæ domus perpetuo flore, Patriæ salute, Celsissimi Comitum & Cancellarii prosperitate, Academiae ejusque Ephorum conservatione, novique Rectoris felici Fascium Academicorum moderamine, devotissima & calidissima vota nuncupaturi! Valetè! Dabam ABOÆ Octavo Calend: Julii, sive ipso die Johannis Baptistæ, Anno MDCCX. sub Sigillo Academiae Aboensis.



